

CAPITULUM 15

DE COMPARATIONE DIFFERENTIAE AD SPECIEM,
R
PROPIUM ET ACCIDENS
A

§1

Commune vero differentiae... 18,11-13 . Istud est tertium capitulum huius secundi tractatus, in quo Porphyrius comparat invicem differentiam, speciem, proprium et accidens penes convenientiam et differentiam, postquam comparavit genus ad haec omnia. Dividitur ergo istud capitulum in tres conclusiones. In quarum prima Porphyrius comparat differentiam ad speciem. In secunda comparat differentiam ad proprium, ibi:¹ differentia vero proprium. In tertia comparat differentiam ad accidens, ibi:² differentiae autem et accidenti. Cum enim genus et differentia sint partes et principia speciei, conveniens est quod praemissa comparatione generis ad omnia alia praedicabilia subsequatur comparatio differentiae ad tria praedicabilia quae sunt species, proprium et accidens; et hoc secundum convenientiam et differentiam, iuxta comparationem generis.

Prima ergo conclusio est ista: differentia et species invicem conveniunt et differunt. Prima pars ostenditur in duabus convenientiis quibus invicem conveniunt differentia et species. Prima convenientia est participationis, eo quod tam differentia quam species aequaliter participatur ab omnibus suis inferioribus; nullus enim homo est magis vel minus homo quam alius, neque magis vel minus rationalis quam alius, sed omnes homines sunt aequaliter homines et aequaliter rationales. Species enim est tota essentia individuorum, et differentia est pars essentialis speciei, ipsam indivisibiliter constituens; ideo oportet quod tam species quam differentia inveniatur in quolibet suo individuo aequaliter et non secundum magis et minus.

Lege litteram: commune vero differentiae et speciei est aequaliter participari; homine enim aequaliter participant particulares homines

et rationali differentia.

§2

Commune vero est... 18,13-15 . Secunda convenientia est inexist_{en}tiae, quoniam tam species quam differentia semper est in suis inferioribus. Non enim est dicendum quod Sortes quandoque est homo et quandoque non est homo, aut quod aliquando sit rationalis et aliquando non sit rationalis, sicut dicimus quod interdum movetur vel est albus et interdum quiescit vel est niger; sed dicimus quod Sortes semper est homo et semper est rationalis, quia semper praedicatum est de ratione subiecti et includitur in intellectu eius tanquam in primo modo dicendi per se.

Duae ergo sunt communitates in quibus conveniunt differentia et species, videlicet aequaliter participari ab omnibus suis inferioribus et semper inesse illis.

Lege litteram: commune vero est differentiae et speciei semper adesse his quae participant; semper enim Socrates homo est, et Socrates semper rationalis est.

§3

Proprium autem differentiae... 18,16-19 . Alia pars conclusionis etiam declaratur, videlicet quattuor differentiis quibus invicem differunt differentia et species. Prima differentia est ratione modi praedicandi, quia differentia praedicatur in quale et species praedicatur in quid; licet enim in hoc conveniant quod utrumque essentialiter praedicatur, non tamen eodem modo essentialiter. Species enim, ex quo dicit modum determinabilis, praedicatur in quid, differentia vero, quia dicit modum determinantis, praedicatur in quale.

Et si aliquis instaret dicens 'species est qualitas, ex quo substantia secunda significat quale quid, ut habetur in Praedicamentis,³ er

go praedicatur in quale', respondet Porphyrius dicens quod species non est simpliciter qualitas, sed secundum quid. Unde homo communis, etsi dicitur qualitas, non tamen simpliciter, eo modo quo differentia dicitur qualitas generis, neque eo modo quo proprium dicitur qualitas speciei et accidens subiecti, sed solum ex eo quia differentiae advenientes generi et constituentes speciem dicuntur qualitates. Sicut ergo species non est simpliciter qualitas, sed secundum quid, ita non simpliciter praedicatur in quale, sed secundum quid. Si enim quaeritur quale est hoc, numquam respondebitur homo, sed si quaeratur quale quid est hoc, potest responderi homo. Verbi gratia, concesso quod Sortes est animal, si quaeratur quale animal est Sortes, congrue respondetur homo.

Lege litteram: proprium autem differentiae quidem est in eo quod quale sit praedicari, speciei vero in eo quod quid est. Nam et si homo velut qualitas accipiatur, non simpliciter qualitas erit, sed secundum id quod generi advenientes differentiae eam constituerunt.

§4

Amplius differentia quidem... 18,19-21 . Secunda differentia est ratione modi essendi, quoniam differentia ut differentia saepe consideratur esse in pluribus differentibus specie, species autem secundum quod huiusmodi non consideratur esse nisi in his quae solo numero differunt. Licet enim aliqua species inveniatur in pluribus differentibus specie, sicut animal et corpus, non tamen in eo quod species, sed in eo quod genus; differentia autem secundum quod huiusmodi invenitur in multis differentibus specie, sicut quadrupes, quod invenitur in equo, et bove et aliis multis animalibus differentibus specie. Notanter dicit Porphyrius "saepe" et non "semper", quia non semper invenitur differentia in pluribus differentibus specie; differentia enim convertibilis cum specie specialissima non invenitur nisi in individuis solo

numero differentibus.

Lege litteram: amplius differentia quidem in pluribus saepe speciebus consideratur, quemadmodum quadrupes in pluribus animalibus specie differentibus; species vero in solis his quae sunt sub se individuis.

§5

Amplius differentia est prima... 18,21-23 . Tertia differentia est ratione ordinis, quoniam differentia est prior specie. Quod probatur sic: illud est altero prius quo interempto interimitur illud alterum et non e contra; sed interempta differentia interimitur species, non autem e contra interempta specie interimitur differentia; ergo differentia est prior specie. Tenet consequentia cum maiori, ex doctrina Philosophi, V Metaphysicae; ⁴ et minor declaratur, quoniam si non est rationale non est homo, non autem si non est homo non est rationale, quia adhuc esset rationale si non esset homo, videlicet Deus, quem Stoici dicunt esse animal rationale. Sicut ergo destructa forma destruitur compositum, non tamen destructo composito destruitur generaliter forma, quia corrupto homine adhuc manet intellectus; cum autem differentia sumatur a forma, consequens est quod destructa differentia destruat species, non tamen e contra destructa specie destruitur differentia.

Lege litteram: amplius differentia est prima ab ea specie quae est secundum eam; simul enim ablatum rationale interimit hominem, homo vero interemptus non aufert rationale, cum sit Deus.

§6

Amplius differentia quidem... 18,23-19,2 . Quarta differentia est ratione constitutionis, quoniam plures differentiae simul componuntur ad constitutionem unius speciei, non autem plures species possunt invicem componi ad constitutionem alicuius alterius speciei. Ver

bi gratia, rationale et mortale simul componuntur ad constitutionem hominis, cuius signum est quia omnium eorum idem est individuum: nam Sortes est individuum hominis, et individuum rationalis, ac etiam mortalis est individuum -Sortes enim est homo, et rationalis, et mortalis. Homo autem et equus non possunt invicem componi ad constitutionem al- cuius speciei, cum non sit possibile dare individuum omnium illorum, aliter idem numero esset homo et equus -quod est impossibile. Causa autem omnium istorum colligitur a Philosopho, VII Metaphysicae:⁵ nam ex duobus existentibus in actu non potest fieri aliquod unum, ex duobus vero quorum unum est in actu et alterum in potentia potest fieri unum. Ex Sorte enim et Platone non potest fieri unum, sed bene ex materia et forma, quia materia est in potentia et forma in actu. Constat autem quo duae species sunt in actu ultimato et perfecto, ideo ex his non potest fieri aliqua una species; differentiarum autem una potest esse in potentia ad aliam et perfectibilis per illam, eo modo quo formae elementorum sunt potentiales ad formam mixti et perficiuntur per eam. Unde corporeum dicitur potentiale ad animatum, et animatum ad sensitivum, et sensitivum ad rationale, et rationale ad mortale -iuxta phantasiam Stoicorum-; ita quod ultima differentia est in actu completo, perficiens et determinans omnes praecedentes differentias ad speciei constitutionem, sicut forma mixti perficit et determinat omnes formas elementorum ad mixti generationem.

Lege litteram: amplius differentia quidem componitur cum alia differentia; rationale enim et mortale compositum est in substantia[m] hominis. Species vero speciei non componitur, ut gignat aliquam aliam speciem.

§7

Quaedam enim equa... 19,2-3 . Et si aliquis instaret dicens 'equa et asinus sunt diversarum specierum, quorum permixtio facit ad

muli generationem, qui etiam specificè differt ab equa et asino', respondet Porphyrius dicens quod ista permixtio non est specierum sed individuorum, quoniam quaedam particularis equa permiscetur particulari asino ad muli generationem; equa autem simpliciter et asinus universalis numquam tantum convenire poterunt quod constituent mulum, eo quod actiones sunt suppositorum et non universalium, nisi per accidens, ut habetur in prologo Metaphysicae.⁶

Haec tamen obiecto⁴ non est contra intentionem Porphyrii; intendit enim Porphyrius quod plures differentiae sic constituent speciem quod sunt partes illius, et omnium illorum idem est individuum. Constat autem quod equa et asinus constituent mulum in genere causae efficientis, ex permixtione duorum seminum, quorum semen asini temperatur in frigiditate a calore semini equae, et conveniunt in unam naturam mediam cuius non sunt partes equa et asinus, neque individuum muli est individuum illorum.

Lege litteram: quaedam enim equa cuidam asino permiscetur ad muli generationem; equa autem simpliciter asino numquam conveniens perficiet mulum.

§8

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod species et differentia non semper sunt in individuis, quia individua non semper sunt, sed generantur et corrumpuntur.

Secundo arguitur quod destructa specie destruitur differentia, quia differentia ultima convertitur cum specie, igitur destructa illa specie necesse est quod destruat differentia ultima.

Ad primum respondet Avicenna et Algazel⁷ quod licet individua quandoque sint et quandoque non sint, tamen species et differentiae semper sunt in eis. Sortes enim aliquando est et aliquando non est, et tamen

semper Sortes est homo, quia haec propositio 'Sortes est homo' semper est vera per se et necessaria, ex quo praedicatum clauditur in ratione subiecti; et non sequitur 'Sortes est homo, ergo Sortes est', quia est fallacia accidentis -accidit enim Sorti esse sicut accidit non esse.

Ista responsio est dubia. Quia ens dividitur per actum et potentiam, ut ponit Philosophus V⁸ et IX Metaphysicae,⁹ ergo omne quod est ens est ens in actu vel in potentia; constat autem quod homo est pars subiectiva entis; igitur si Sortes est homo, necesse est quod sit actu vel potentia homo. Non quidem est actu homo, quia non est, neque est potentia homo, quia non potest esse cum sit mortuus; corruptum enim non potest redire idem numero, ut probat Philosophus, II De generatione.¹⁰

Propterea dicit Burlaeus¹¹ quod illa propositio 'differentia et species semper sunt in individuis' est intelligenda supposita constantia individuorum, ita quod quamdiu individua sunt, semper differentia et species sunt in eis, sic quod numquam derelinquant, eo modo quo accidentia communia relinquunt sua subiecta.

Etiam haec responsio est dubia. Quia sive homo sit sive non sit semper homo est animal rationale, et semper tonitruum est sonus factus in nube, etiam nullo existente tonitruo, quia definitio perpetuo verificatur de suo definito, alioquin non esset medium in demonstratione. Ergo, per idem, sive individua sint sive non sint, non minus species et differentia semper sunt in eis. Deinde, cum haec propositio 'Sortes est homo' ingrediatur demonstrationem particularem concludentem Sortem esse risibilem, oportet quod illa sit necessaria, iuxta processum Aristotelis, I Posteriorum.¹² Hoc autem esse non posset nisi homo semper esset in Sorte.

Dicendum ergo quod illa communitas assignata est intelligenda secundum aptitudinem, et non secundum actum. Ita quod non oportet speciem et differentiam semper actu esse in individuis, sufficit autem quod il

la habent aptitudinem semper esse in individujs. Sicut divisibilitas in infinitum semper est in qualibet linea, aliter non demonstraretur de illa, et tamen aliqua linea quandoque est et quandoque non est; et hoc ideo quia divisibilitas dicit aptitudinem. Et licet proprie concedatur quod homo est animal et quod animal est substantia, nullo animali existente, quia adhuc homo est animal actu vel potentia, et animal est substantia actu vel potentia, non tamen proprie conceditur Sortem esse hominem ipso mortuo, ex quo non est homo actu vel potentia.

Et si arguitur sic: 'haec propositio est necessaria "Sortes est homo"; et illa significat adaequate Sortem esse hominem; ergo Sortes est homo', respondetur distinguendo de illo verbo 'est' utrum dicat inhaerentiam actualem praedicati ad subiectum vel aptitudinalem. Si dicit inhaerentiam actualem, negatur quod sit necessaria, quia non est necesse quod Sortes sit actu homo. Si autem dicit inhaerentiam aptitudinalem, concedatur quod illa est necessaria; sed non significat Sortem esse hominem, solum autem significat Sortem esse aptum natum esse hominem. Neque oportet quod haec aptitudo amplius reducatur ad actum in eo, sed sufficit quod fuit reducta ad actum in eo et reducetur ad actum in alio eiusdem speciei.

Ad secundum respondet Avicenna¹³ quod haec omnia per ignorantiam dicta sunt a Porphyrio, vicelicet quod rationale mortale constituunt hominem et quod destructa specie non destruitur differentia.

Potest tamen excusari quod non dixit rationale mortale constituere hominem ex propria intentione, sed tantum exemplariter hoc dixit, sequens opinionem Stoicorum. Cum enim species sint aeternae, mortale non constituit speciem, sed magis destruit; et dato quod constitueret, illae duae differentiae simul non possent constituere, videlicet rationale mortale, quia prima differentia debet esse communior quam secunda; constat autem quod rationale non est communius quam mortale, sed magis e contra.

Item, conceditur quod destructa specie destruitur differentia conver-
 tibilis cum illa, neque obstat quod corrumpitur homo non corrupto intel-
 lectu, quia non corrumpitur species humana, sed individuum illius spe-
 ciei, cum quo non convertitur intellectus. Intendit ergo Porphyrius lo-
 qui de differentia in generali et non in speciali, ita quod quacumque
 differentia data, si illa destruitur, necesse est quod destruaturspe-
 cies, non tamen e contra. Si enim destrueretur sensitivum necessario
 destrueretur homo, non tamen destructo homine propter hoc destrueretur
 sensitivum, quia adhuc maneret sensitivum in bruto. Ita, si rationale
 competeret nobis et diis, eo destructo destrueretur homo, sed non e con-
 tra. Ita contingit in naturalibus quod destructa forma elementi existen-
 te in mixto destruitur mixtum, sed non e contra, eo quod mixtum resol-
 vitur in elementa. Loquendo tamen de forma propria, ita corrumpitur il-
 la in corruptione mixti sicut corrumpitur mixtum in corruptione illius.

§9

Differentia vero et proprium ... 19,5-7 . Secunda conclusio: dif-
 ferentia vero et proprium invicem conveniunt et disconveniunt. Primam
 partem probat Porphyrius duabus convenientiis quibus invicem conveniunt
 differentia et proprium. Prima convenientia consistit in participatio-
 ne, eo quod differentia et proprium aequaliter participantur ab omnibus
 de quibus praedicantur. Non enim intenduntur et remittuntur, eo quod
 differentia, cum sit pars essentialis speciei, indivisibiliter habet
 esse, sicut et forma substantialis, ad quam non est per se motus, sed
 subito et indivisibiliter acquiritur, ut probatur V Physicorum.¹⁴ Pro-
 prium autem est quaedam naturalis potentia consequens ipsam formam et
 fluens a principiis speciei, ideo etiam ipsum proprium indivisibiliter
 acquiritur absque intensione et remissione.

Dicendum ergo quod omnes homines sunt aequaliter rationales et ae-
 qualiter risibiles, et quod nullus est alio magis vel minus rationalis

aut risibilis. Si autem in quibusdam apparet magis et minus, hoc non est ratione differentiae aut proprii, sed ratione subiecti in quo inveniuntur promoventia et impudentia ad ratiocinandum et ridendum.

Lege litteram: differentia vero et proprium commune quidem habent aequaliter participari ab his quae eorum participant; aequaliter enim rationalia rationalia sunt et risibilia risibilia sunt.

§10

Et semper et omni... 19,7-9 . Secunda convenientia consistit in praedicatione, quoniam tam differentia quam proprium de sua specie et de omni contento sub illa semper praedicatur. Dato enim quod bipes sit differentia hominis et inveniatur aliquis qui sic curtetur et abbrevietur quod naturaliter aut violenter careat ambobus pedibus, non propter hoc perimitur substantia illius quin sit homo, et consequenter quin ille sit bipes; non quod actu abeat duos pedes, sed quia est aptus natus habere duos pedes. Sicut enim manet essentia hominis interemptis pedibus, ita manet aptitudo ad ambulandum et ad habendum duos pedes. Licet ergo non quilibet homo semper actu duos pedes habeat tamen semper quilibet homo habitu vel aptitudine bipes est. Sic etiam quilibet homo est risibilis, et semper est risibilis, licet non semper actu rideat; quamvis enim tollatur actualis operatio, non tamen tollitur aptitudo. Sicut licet tollatur motus gravis deorsum, non tamen propter hoc tollitur gravitas neque aptitudo ad motum deorsum.

Lege litteram: et semper et omni contento sub specie adesse commune est utriusque; si enim curtetur quod est bipes, non substantia perimitur, sed ad id quod natum est semper dicitur; nam et risibile in eo quod natum est semper dicitur, sed non in eo quod semper rideat.

§11

Proprium autem differentiae est... 19,11-13 . Alia pars conclusionis etiam duabus disconvenientiis probatur. Quarum prima consistit in exclusione, quoniam differentia saepe de pluribus speciebus praedicatur, proprium vero de una sola specie praedicatur, videlicet de illa cuius est proprium.

Verbi gratia, rationale praedicatur de homine et de deo -secundum Stoicos et Epicureos-, qui differunt specie. Et licet homo differat a deo per mortale et deus ab homine per immortale, tamen necesse est dare unam aliam differentiam convertibilem cum specie, quoniam mortale non solum convenit hominibus, sed etiam brutis, et immortale non solum convenit uni speciei deorum, sed etiam alteri, eo quod omnes dii sunt immortales. Propterea dicit Porphyrius quod differentia saepe praedicatur de pluribus speciebus, ad innuendum quod aliquando solum de una specie praedicatur, videlicet quando convertitur cum specie; proprium vero semper convertitur cum eo cuius est proprium, ideo semper de una sola specie praedicatur.

Lege litteram: proprium autem differentias est quoniam haec quidem de pluribus speciebus dicitur saepe, ut rationale de homine et de Deo; proprium vero de una sola specie cuius est proprium.

§12

Et differentia quidem... 19,13-15 . Secunda disconvenientia consistit in consecutione, eo quod differentia est consequens ad speciem et non e contra, proprium vero consequitur ad speciem et e converso. Et hoc ideo, quia differentia aliquando non convertitur cum specie, proprium vero semper convertitur cum specie. Sequitur enim 'homo est, ergo rationale est' et non e converso; ex quo enim rationale se tenet ex parte generis, sicut ad speciem sequitur genus et non e converso, ita de differentia est dicendum. Ubi autem differentia se teneat ex

parte speciei, necesse est quod convertatur cum specie, et quod ex differentia sequatur species sicut ex specie sequitur differentia. Et secundum hoc idem erit iudicium de differentia et de proprio, quoniam sicut sequitur 'homo est, ergo risibile est' et e converso, ita sequitur 'homo est, ergo disciplinabile est', et etiam sequitur 'disciplinabile est, ergo homo est', dato quod disciplinabile sit differentia hominis.

Lege litteram: et differentia quidem illis est consequens quorum est differentia, sed non convertitur; propria vero conversim praedicantur de his quorum sunt propria, idcirco quoniam convertuntur.

§13

De veritate talium propositionum 'Sortes semper est rationalis'

Notandum quod circa secundam convenientiam potest dubitari, sicut in alia conclusione dubitatum est, de veritate talium propositionum 'Sortes semper est rationalis', 'Sortes semper est risibilis', quia ex illis sequitur quod Sortes semper est, et quod illae sunt necessariae 'Sortes est rationalis', 'Sortes est risibilis'. Quod est falsum. Ex eo enim quia res est vel non est oratio vera vel falsa dicitur, per Philosophum in Postpraedicamentis;¹⁵ constat autem quod Sortes aliquando est et aliquando non est; ideo tales propositiones quandoque sunt verae et quandoque sunt falsae; non ergo sunt necessariae.

Respondetur quod duplex est necessitas, videlicet extremorum et inhaerentiae praedicati ad subiectum. Propositio necessaria necessitate extremorum est illa quando quodlibet extremum necesse est esse; nam quia necesse est hominem esse et animal esse, ideo talis propositio est necessaria 'homo est animal' necessitate extremorum. Necessitas inhaerentiae praedicati ad subiectum duplex est, videlicet actualis et aptitudinalis. Inhaerentia actualis est quando denotatur praedicatum actu esse in subiecto, ut 'caelum est sphericum et movetur'. Inhaerentia aptitudinalis est quando denotatur praedicatum actu vel aptitudine esse in subiecto, ut 'to

nitrum est sonus factus in nube' seu 'rosa est pulcherrimus florum'.
 Dicatur igitur quod nulla istarum propositionum, 'Sortes est rationalis', 'Sortes est risibilis', est necessaria necessitate extremorum, quia non est necesse Sortem esse; nec est necessaria necessitate inhaerentiae actualis praedicati ad subiectum, quia non est necesse rationalitatem aut risibilitatem actu esse in Sorte; sed est necessaria necessitate inhaerentiae aptitudinalis, quia necesse est Sortem esse aptum natum ratiocinari et ridere. Et tunc ad argumentum 'Sortes semper est rationalis vel risibilis, igitur Sortes semper est', negatur consequentia, quia arguitur ab esse aptitudinali ad esse actuale, ac si argueretur 'Sortes est risibilis, ergo Sortes ridet'.

§14

Differentiae autem et accidenti... 19,17 ? Tertia conclusio: differentia convenit cum accidente et eidem est diversa. Primam partem huius conclusionis probat Porphyrius duabus convenientiis quibus invicem conveniunt differentia et accidens. Prima convenientia est in praedicatione, quia tam differentia quam accidens de pluribus praedicatur, et specie et numero differentibus. Rationale enim de homine et Deo praedicatur; album autem de homine et equo, qui differunt numero et specie. Neque accipitur hic accidens prout distinguitur contra substantiam, quia haec albedo et illa nigredo hoc modo est accidens, et non praedicatur de pluribus; sed accipitur accidens ut est universale distinctum contra alia quattuor praedicabilia. Isto modo est unum in multis et de multis, et sic de pluribus praedicatur eo modo quo differentia -ut dictum est.

Lege litteram: differentiae autem et accidenti commune est de pluribus dici.

§15

Commune vero ad ea ... 19,18-19 . Secunda convenientia est in separatione, quia sicut differentia numquam separatur a specie neque ab aliquo contento sub illa, sed semper inest speciei et omni contento sub illa, ita accidens inseparabile numquam separatur ab illa specie de qua praedicatur neque ab aliquo suo individuo, sed semper adest omnibus illis. Bipes enim, quod ponitur differentia hominis, est in quolibet homine non tantum quodam tempore, sed semper; ita etiam nigrum semper inest omnibus corvis. Nam licet inveniatur aliquis corvus albus secundum speciem, et hoc aut generatione, arte vel aetate, tamen corvus, ut importat quandam complexionem ad quam sequitur nigredo, non potest esse nisi niger. Ista convenientia ergo, seu communitas, non est universalis, quia non competit omnibus accidentibus, sed solum inseparabilibus.

Lege litteram: commune vero ad ea quae sunt inseparabilia accidentia semper et omnibus adesse; bipes enim semper adest omnibus hominibus, et corvis nigredo similiter.

§16

Differt autem differentia ab accidente ... 19,21-20,3 . Alia pars conclusionis probatur tribus diversitatibus quibus invicem diversificantur differentia et accidens. Prima diversitas est in continentia, eo quod differentia continet speciem et non continetur. Nam de quocumque praedicatur species, de eodem praedicatur differentia, et non e converso; sicut rationale praedicatur de omni eo de quo praedicatur homo, non tamen homo praedicatur de omni eo de quo praedicatur rationale, quia de Deo praedicatur rationale de quo non praedicatur homo. Hoc quidem intelligitur de differentia se tenente ex parte generis, non autem se tenente ex parte speciei, quia haec convertitur cum specie, alia autem est communior specie et minus communis quam genus. Accidens autem aliquo modo continet speciem de qua praedicatur, et aliquo modo continetur

ab ea. Continet autem in quantum est communius specie; unde album est communius quam sit homo et quam sit equus. Et secundum hoc dicitur continere. Continetur autem in quantum species non solum recipit unum accidens, sed plura. Homo enim non solum recipit albedinem, sed etiam caliditatem, humiditatem, gravitatem et huiusmodi. Accidentia ergo tam separabilia quam inseparabilia communiora sunt quam subiecta sua, et ex hoc dicuntur continere subiecta sua. Continentur autem in quantum subiecta sua non solum sunt unius accidentis receptiva, sed plurium.

Lege litteram: differt autem differentia ab accidente quoniam differentia quidem continet, non autem continetur; continet autem rationalitas hominem. Accidens vero quodammodo continet, eo quod in pluribus sunt accidentia quam subiecta, quodammodo vero continetur, eo quod non unius accidentis tantum susceptibilia sunt subiecta, sed plurimorum.

§17

Et differentia quidem... 20,3-5 . Secunda diversitas est in intensione et remissione, quia differentia non est intensibili et remissibilis, accidens autem suscipit magis et minus; quoniam etsi unus homo non est magis rationalis quam alius, tamen est magis albus aut minus niger. Neque debet intelligi talis intensio semper per additionem gradus ad gradum aut contrarii ad contrarium in eodem subiecto; quoniam unus nasus est magis simus quam alius non quia unus nasus habet plures gradus simitatis quam alius aut quia habet minus de aquilinitate coniuncta, sed quia unus nasus est magis inversus quam alius. Sicut etiam una linea est magis curva quam reliqua non quia habet plures gradus curvitatatis aut minus de rectitudine, sed quia in punctis aequedistantibus causatur latior arcus.

Lege litteram: et differentia quidem inintensibilis est et inremissibilis, accidentia vero magis et minus recipiunt.

§18

Et impermixtae quidem... 20,5-8 . Tertia diversitas est in permixtione, quoniam differentiae contrariae non possunt permisceri, accidentia autem contraria invicem permiscentur. Nam rationale et irrationale non possunt invicem permisceri; albedo autem et nigredo invicem permiscentur, ac etiam dulcedo et amaritudo, quoniam colores et saporres medii fiunt ex extremis, per Commentatorem, V Physicorum.¹⁶ Rubedo enim fit ex albedine et nigredine, acetositas vero fit ex dulcedine et amaritudine; non quidem ex partibus, sed ex subiecto. Ita quod sicut albedo vel nigredo fit ex primis qualitatibus tamquam ex subiecto, non quidem inhaesionis, sed dispositionis, ita rubedo, palledo et viredo fit ex albedine et nigredine, non quidem tamquam ex partibus, sed tamquam ex subiecto dispositionis, quo talia media recipiuntur in materia.

Ex praedictis sunt manifestae omnes communitates quibus convenit differentia cum specie, proprio et accidente; sunt etiam manifestae omnes proprietates quibus distinguitur differentia ab eisdem praedicabilibus.

Lege litteram: et impermixtae quidem sunt contrariae differentiae, mixta vero contraria accidentia. Huiusmodi quidem communionem et proprietates differentiae et ceterorum sunt, videlicet praedicabilium.

§19

Species vero quo quidem... 20,8-10 . Si autem quis dubitaret dicens 'propter quid non est declaratum quomodo species differt a genere aut a differentia', respondet Porphyrius quod hoc est declaratum. Quando enim ostendebatur differentia generis a ceteris praedicabilibus, tunc declarabatur differentia speciei a genere; et quando manifestabatur distinctio differentiae a ceteris praedicabilibus, tunc declarabatur distinctio speciei a differentia. Nam, quia eadem est via a Thebis ad Athenas et e contra, ut asserit Philosophus, III Physicorum,¹⁷ ideo ostendes distantiam quae est a Thebis ad Athenas etiam declarat distan

tiam quae est ab Athenis ad Thebas, licet alia et alia sit distantia. Ita in proposito alia est differentia generis a specie et alia speciei ad genus, alia etiam est distinctio differentiae a specie et alia est speciei a differentia; et tamen declarans unam declarat reliquam, propter mutuam oppositionem respectivam. Sicut declarans habitudinem quae est patris ad filium etiam declarat habitudinem quae est filii ad patrem, licet diversae sint habitudines.

Lege litteram: species vero quo quidem differt a genere et differentia, dictum est in eo quod dicebamus quo genus differt a ceteris, et quo differentia differt a ceteris.

§20

Duo argumenta contra praedicta, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod aliqua accidentia non suscipiunt magis et minus, quia pedale, rectum et sphericum sunt accidentia et non suscipiunt magis et minus. Quoniam nihil est magis pedale quam reliquum neque minus rectum, non etiam magis aut minus sphericum; quoniam pedalitas, rectitudo et sphericitas consistunt in indivisibili et non acquiruntur nisi in fine, sicut differentiae.

Secundo arguitur quod differentiae contrariae permiscentur, si accidentia contraria permiscentur. Quoniam accidentia contraria sunt species compositae ex genere et differentia; constat autem quod si composita permiscentur necessario partes eorum permiscentur, ut quia elementa permiscentur in mixto, necesse est quod formae elementorum permiscantur in eodem, ut probatur I De generatione.¹⁸

Ad primum dicitur quod non intendit Porphyrius omnia accidentia suscipere magis et minus, sed tantum aliqua, quoniam quantitas non suscipit magis et minus, per Aristotelem in Praedicamentis;¹⁹ et consequenter neque figura, quae consequitur quantitatem. Et per hoc habetur distinctio inter differentiam et accidens, quoniam nulla differentia in

tenditur vel remittitur, aliquod autem accidens intenditur vel remittitur. Neque in omnibus talibus intensio et remissio habet attendi penes idem. Nam praeter modos dictos quandoque habet attendi intensio penes accessum ad gradum summum, ut ponit Aristoteles, X Metaphysicae;²⁰ nam illud dicitur esse melius quod est propinquius bono simpliciter. Aliquando penes recessum a non gradu; ut illud lumen est intensius quod magis distat a non gradu luminis. Quandoque penes recessum a suo contrario, ut illud est peius quod magis distat a bono simpliciter. Interdum autem penes minorem mixtionem contrarii, iuxta illud Philosophi, I Topicorum:²¹ "albius est quod est nigro impermixtius", et V Physicorum:²² "illud dicitur esse magis vel minus tale in quo est plus aut minus de suo contrario."

Ad secundum conceditur quod differentiae accidentium contrariorum invicem permiscentur non per se, sed per accidens, neque permiscentur tanquam partes aut subiectum alicuius tertii, eo modo quo permiscentur accidentia contraria, iuxta intentionem Porphyrii, sed permiscentur invicem secundum praesentiam et indistantiam, eo modo quo albedo et dulcedo in lacte. Differentiae autem specierum disparatarum, cuiusmodi sunt rationale et irrationale, sensitivum et insensitivum, nullo modo invicem permiscentur. Permixtio enim dicit miscibilium praesentiam et indistantiam, ut colligitur a Philosopho I De generatione;²³ constat autem quod talis praesentialitas et indistantia in talibus differentiis reperiri non potest. Quare etc.